

905
Inquis: Si *materia sensibilis* est corpus naturale sensibilibus qualitatibus præditum, sequitur, quod corpora artificialia, qualia sunt v. gr. mensa, scrinium, poculum, non pertineant ad materiam sensibilem. Sed hoc posterius est falsum E. & prius. Adsumptum probatur, quia corpora etiam artificialia sunt qualitatibus sensibilibus prædita E. & ipsa pertinebunt ad materiam sensibilem. Respondemus cum Drejero *Disp. II. Met. §. 14. materiam sensibilem* utique esse & naturalium & artificialium rerum, quæ idè etiam ab Aristotele communi nomine vocatur quælibet *materia mobilis*, sive ab intrinseco sive ab extrinseco mobilis sit. Interim tamen distinguendum adhuc est inter *materiam sensibilem* & *inter id, quod ex materia sensibili componitur* & constat, quemadmodum ex auro poculum conflatur; Et hæc de materia sensibili & intelligibili dixisse sufficiat.

XVI

Materia describitur ab Aristotele *l. 5. Met. c. 2. τὸ ἐξ ἧς γίνονται τὰ ἐνυπαρχόντα*, id ex quo aliquid fit in sit. In qua descriptiūcula sequentia observanda veniunt. (1.) particula *ex* sumi potest dupliciter, vel negativè, & sic formaliter dicit ea negationem dependentiæ, ut quomodo sumitur in definitione creationis; quæ dicitur productio rei ex nihilo; & hæc significatio hic aliena est; vel positivè, & sic notat ea habitudinem causæ alicujus concurrentis ad effectus constitutionem intrinsecam, quæ significatio præcipuè huc spectat. (2.) observari meretur, quod per particulam *aliquid* denotetur *causatum materie*, nempe *compositum*. Licet enim *forma materialis* etiam fiat ex *materia*, non tamen ita fit ex *materia*, ut ipsi *materia* insit. Atqui sic *materia* est quidem *causa* seu *principium internum* respectu *compositi*, *externum* respectu *forma*. Quod si autem, prout *forma causa ac principium* est describere velis, descriptio forsan dari hujusmodi potest, quod sit id, ex quo *forma* educitur vel educta est, cum prius fuerit in potentia illius (3.) Notari debet, definitionem Aristotelis tantum competere *materia generationis* seu *rei insieri*, non autem simul *materia constitutionis* seu *rei in factu esse*, & idè rectè fuisse à B. Stahlio in Tab. de Materia eam correctam, ut ita integra definitio materiæ sic habeat; *quod sit id, ex quo aliquid fit vel factum est*,
ita